



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XX. Gregorii Papae I. Ad Agnellvm Episcopvm Terracinensem. De
his qui idola colebant & arbores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

quenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscat; sciens quod per vos substantia monasterii omnino grauari non possit. Data Mense Aprili, indictione prima.

EPISTOLA XIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Claudium abbatem commendat.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennati.

QUOD communem filium Claudium abbatem latorem presentium longa apud nos hactenus mora retinuit, res illa fecit, quod magnum nobis, sicut nostis, erat in verbo Dei solatium: quem etiam hic adhuc volueramus diutius retinere, nisi & ipsum ad suum monasterium festinare, & nos congregationi fratrum eius presentiam esse omnino necessariam sciremus. Et ideo quia illum, sicut petiit & exigebat utilitas, relaxandum esse prospeximus, commendantes eum, hortamur, ut sanctitas vestra sacerdotali eum affectione suscipiat, paternam illi monasterioque ipsius caritatem, sicut decet, impendat; benignitatis suæ eum consolatione refoueat, in eius se tuitionem instanter accomodet, & præsidii sui beneficio liberum ab omni inquietudine redditum, quieti & utilitatibus fratrum vacare permittat, atque peculiariter, sicut a nobis eum scit diligere, diligat; quatenus & caritatis vestræ affectum, quem olim expertus est, in se multiplicius recognoscat, & nos in vobis inuenisse se gaudeat.

EPISTOLA XX.

GREGORII PAPÆ I.

AD AGNELLVM EPISCOPVM TERRACINENSEM.

De his qui idola colebant & arbores.

Gregorius Agnello episcopo Terracinenſi.

PERVENIT ad nos quosdam illic, quod dici nefas est, arbores colere, & multa alia contra Christianam fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas vestra districta emendare ultione distulerit. Eapropter scriptis

vos præsentibus adhortamur, vt hos diligenti inuestigatione perquiratis, & veritate cognita, talem in eis faciatis exerceri vindictam, quatenus & Deus placari possit, & aliis eorum vltio correptionis exemplum sit. Scripsimus autem & Mauro nunc vicecomiti, vt fraternitati vestræ in hac re debeat adhibere solatia, dummodo ad comprehendendos eos inuenire excusationem aliquam non possitis. Quia vero comperimus multos se a murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra sollicita, vt nullum neque per nostrum vel ecclesiæ nomen aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur; quatenus cunctis vigilantibus, melius auxiliante Domino ciuitatis valeat custodia procurari.

EPISTOLA XXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD MARINIANVM EPISCOPVM RAVENNÆ.

Commendat vxorem Ioannis, quæ in controuersiam suæ conditionis vocabatur.

Gregorius Mariniano episcopo Rauennæ.

* al. Ge-
orgii IOANNES præsentium portitor queritur vxorem suam, molestias * Gregorii cuiusdam refugientem, diu in septis venerabilibus residere, & nullum hæcenus inuenisse solatium. Cuius quia de conditione esse controuersiam asserit, & vestræ eam fraternitati periiit commendandam, his vos hortamur affatibus, vt eidem mulieri, seruata æquitate, debeatis tuitionem impendere, & a nullo eam contrarationis ordinem grauari aliquo modo permittatis. Sed si de statu eius quæstio perseverat, studii vestri sit, vt sine oppressione aliqua, legali modo ad iudicium veniatur; quatenus dum veritate cognita quod iuris ordo suaserit fuerit definitum, neutra se pars aliquod doleat præiudicium pertulisse.